x

Haec igitur maxime causa fuit · quur relicto aurium iudicio pythagoras ad regularum momenta (examina)
migrauerit · qui nullis humanis auribus credens · quae partim natura · partim etiam extrinsecus
accidentibus permutantur · partim ipsis uariantur aetatibus · nullis etiam deditus instrumentis ·
penes quae saepe multa uarietas atque inconstantia nasceretur · dum nunc quidem si neruos uelis aspi
cere · uel (aer) humidior · pulsus obtunderet · uel siccior excitaret · uel magnitudo corde grauiorem
redderet sonum · uel acumen (magnitudo corde) subtilior tenuaret · talium quodam modo statum prioris constantiae
permutaret · et cum idem esset in ceteris instrumentis · omnia haec inconsulta · minimeque
aestimans fidei · diuque aestuans · inquirebat quanam ratione · firmiter et constanter consonantiarum
momenta perdisceret; Cum interea diuino quodam nutu praeteriens fabrorum officinas pulsos malleos
exaudit · ex diuersis sonis unam quodammodo concinentiam personare · Itaque ad id quod diu
inquirebat adtonitus · accessit ad opus; diuque considerans · arbitratus est · diuersitate sonorum ·
ferientium uires efficere; atque ut id apertius colliqueret · mutare inter se malleos imperauit;
Sed sonorum proprietas · non in hominum lacertis herebat · sed mutatos malleos comitabatur;
Ubi id igitur animaduertit · malleorum pondus examinat · Et cum quinque essent forte mallei ·
dupli reperti sunt pondere · qui sibi secundum diapason consonantiam respondebant;
Eundem etiam qui duplus esset alio · sesquitertium alterius comprahendit · ad quem scilicet
diatessaron sonabat; ad alium uero quendam · qui eidem (alius duplo) diapente (in) consonantia iungebatur ·
Eundem superioris duplum · repperit esse sesqualterum; Duo uero id ad quos superior duplex · sesqui
tertius · et sesqualter esse probatus est ad se inuicem · sesquioctaua proportione perpensi sunt custodire;
Quintus uero est reiectus · qui cunctis erat inconsonans; Cum igitur ante pythagora consonan
tiae musicae · partim diapason · partim diapente · partim diatessaron · quae est consonan
tia minima uocarentur · primus phitagoras hoc modo repperit · qua proportione sibimet ·
haec sonorum concordia iungeret; Et ut sit clarius quod dictum est · Sint uerbi gratia malle
orum quattuor pondera · quae subter scriptis numeris contineantur · XII · VIIII · VIII · VI ·
Hi igitur mallei · qui · XII · et · VI · ponderibus uergebant diapason · in duplo concinentiam personabant;
Malleus uero · XII · ponderum · ad malleum · VIIII · et malleus octo ponderum ad
malleum · VI ponderum · secundum epitritam proportionem · diatessaron · consonantia
iungebatur; VIIII uero ponderum ad · VI · et · XII · ad · VIII · diapente consonantiam
permiscebant; VIIII · uero ad octo · in sesquioctaua · proportione resonabant
tonum;

QUIBUS MODIS UARIAE A PYTHAGORA PROPORTIONES CONSO
NANTIARUM PERPENSAE SINT ·